Morbio 26 (63)

EVERARDVS MERCVRIANVS

PRAEPOSITVS GENERALIS SOCIETATIS IESV

Ill. DD. Maximiliano Stampa, Mariana Vxori eius, et Comiti Georgio eius fratri salutem in Domino sempiternam. Quamuis in Ecclesia Catholica, ut corpore mystico Iesu Xpi compacto et connexo per omnem iuncturam subministrationis membra omnia pro se inuicem solicita sint, ut singula iuxta mensuram gratiæ sibi à capite Iesu Chr̃o infusæ, officia sua, et bona cunctis alijs communicent: rationi tamen consentaneum est, ut tanto copiosior fiat ipsorum communicatio quanto solidior dilectionis connexio existit. Cum igitur DD. VV. deuotionis affectu, et beneficentia quoq́ merito non uulgari huic minimæ nostræ Societati adglutinatæ sint. Nos memores quidem paupertatis nostræ, quod nec cogitare bonum tamquam ex nobis ualeamus: verum pro mensura donationis Iesu Christi à quo omnis nostra quantulacunq́ sufficientia est, debitam charitati DD. VV. uicem rependere affectu, effectuq́ peculiari cupientes, omnium et singulorum bonorũ spiritualium, quæ per Diuinæ Bonitatis gratiam, in hac nostra Societate priuatim, aut publicè, et ad propriam uniuscuiusq́ nrum, uel ad communem proximorum utilitatem indies fiunt, ut, Precum, Suffragiorum, Meditationum, Missarum, Prædicationum uerbi Dei, sacrarũ Lectionum, Ministeriorũ sacramentalium, quorumlibet misericordiæ operum, Ieiunior., Peregrinationum sanctarum; ac postremò quarumcũq́ piarum tum animæ, tum corporis exercitationum singularem DD. Vr̃is cõmunicatio=nem ex intima cordis affectione impendimus; simulq́ Deum et Patrem Dñi Nr̃i Iesu Xpi supplices obsecramus, ut de inexhausto meritorum filij sui dilectissimi thesauro nostrorũ inopiam supplens, atq́ ditans cunctorum obsequiorum, quæ in eadem Societate ipsi pro sua benignitate placuerunt, hactenus et in posterum placebunt DD. VV. Ill. plene participes effectas, gratiaq́ omnis benedictione in hac uita auctas æterna tandem gloriæ remuneret corona. Amen. Romæ xij die Iunij M. D. LXXIIII.

Euer.s Mercur.s

XXIX / 243
1574
Junii 12

Morbio 26 (63)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1877517054-13/fragment/page=0002